PHILIPPVM III-
SPANIAE REGEM
CATHOLICVM.

RTII MALACRIDAE
OROIVLIENSIS
i Collegij Cardinalium à Secretis.

IVVS RAYMVNDVS.



ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum. MDCI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur ſi placet Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.
B. Gypſius Viceſgerens.

EGo Bernardus Colnagus Societatis IESV, vidi, et nihil inueni contra fidem, nec contra bonos mores.

Imprimatur
Fr. Angelus Baronius Venetus Mag. & ſoc. Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij, Ord. Præd.

IOSEPHI CASTALIONIS
I. V. D.

IN MARTII MALACRIDÆ OPVS
DE SANCTO RAYMVNDO.

Quem ſemel ætheriæ prudens elegerat aulæ
Rerum opifex, nullo in terris non auxit honore.
Si genus eſt aliquid deducere ſanguine claro,
Stemma RAYMVNDVM decorat regale parentum.
Hiſpanas inter vrbes celeberrima alumnum
BARCINO ſuſcepit venientem in luminis oras.
Forma, valetudo, ingenium, mens contigit vni
Candida, propoſitiq; tenax, atque æmula cœlo.
Doctior, & melior quiſquam non appulit Vrbi
Romuleæ. Iuris nodos, legumq; peritus
Explicuit. Mox ſcita Patrum digeſſit, & alti
Sortitus claues, humanos arbiter actus
Expendit, poſteſq; pijs reſerauit olympi
Pontificis Summi iuſſu. Non fluxa bonorum
Gaudia cœperunt hominem, non ſplendor honorum,
Ambitioue, ſitiſue auri deflectere curſu
Eualuit. Contemptor opum, contemptor honorum,
Oblatiq; pedi, Mitræq; inſigne reiecit,

Pauperibusq. dedit patrimoni magna talenta,
Nullas inter opes diues, planèq. beatus.
Priuatam duxit ſatius traducere vitam,
Publica ſollicito quàm pectore munera obire.
Vnde magiſterio, & ſumptis deceſſit habenis,
Declinansq. omnem faſtum, famamq. caducam,
Montibus optauit ſolis inglorius æuum
Exigere, ac prorſus mortales fallere viſus.
Suſpiciens oculis cœli conuexa, Deumq.
Rite colens, CHRISTI promiſſa ad præmia greſſum
Tendebat, ſuperiq. chori languebat amore.
Improba deteſtans tumidi delicta tyranni
Tranſmiſit plantis pelagi freta cærula ſiccis,
Iuſſa nihil regis ſpectans, puppesq. negatas.
Aſpera captiuæ miſerans incommoda pubis,
Inſtituit mira ſanctos pietate ſodales,
Qui ſtipe collata, duris exempta catenis:
Corpora reſtituant patriæ, carisq. propinquis.
Voce luem membris infeſtam depulit ægris,
Sopitosq. aliquot lethali ſurgere ſomno
Iuſſit, & excitos vitali veſcier aura.
Sæcula iam tria ſunt, clauſit cum lumina liber
Corporeis vinclis, cæliq. aſcendit in arcem.

Iunu-

Innumeros voti damnauit, opemq. vocatus
Inde tulit, facti quondam clariſſima ſigna
Cœlitis. hinc ſtudium inceſſit populumq. Patreſq.
Ac reges, aras Romano à patre petendi
Cœlicolæ; feſtoq; die ſolemnia ſacra:
Rem longo ſtatuit dilatam tempore tandem,
Decernitq; preces SANCTO, panchæaq; thura,
Noſtra pio reparat cultu qui tempora CLEMENS.
Sed quid ago? ſperem ne orſis comprendere paruis
Quanta Malacridæ ſunt decantata diſerto?
Ille opus aggreſſus ſublimi carmine tantum,
Spem palmæ eripuit docto certamine ſummis
Ingenijs, cingens daphnæa tempora fronde.

EIVSDEM

R.mo D.no FRANCISCO PEGNAE Auditori Rotæ. V.C.

SAnctorum CLEMENS RAYMVNDVM retulit albo,
Mirata eſt pompam maxima Roma nouam.
Sed quos Roma ſemel celebres ſpectauit honores,
Auſoniſs iterat hos Malacrida modis,
Et facit, vt, latiæ quà ſunt commercia linguæ,
Percipiant tantum mœnia cuncta decus.
Sic terræ Hiſpanæ pietas, pietasq; PHILIPPI
Noteſcet ſæclis omnibus, atque locis.
O ſi non ſpatijs auctor diſcluſus iniquis
Egiſſet campo liberiore rotas,
Eximios inter proceres Clariſſime Pegna,
Quos tecum ſiluit, perlegerere libro.
Nanq; tuum agnoſcit ſtudium RAYMVNDVS ab alto,
Et ſuperum adſcriptus Didacus ordinibus:
Curaq; cœlicolæ tua neutri defuit ardens,
Dum peterent Reges publica vtrique ſacra.

IN MARTII MALACRIDAE Foroiulienſis S. RAYMVNDVM

BERNARDI COLNAGI E SOCIETATE IESV.

EPIGRAMMA.

SVnt quos, arma, duces, ſyluasq; boumq; labores
Dicere Pierio carmine, muſa iubet:
Mentitosq; Deûm vultus, cæcosq; furores,
Vanaq; Theſpiaca, numina culta, lyra.
Te tellus Malacrida minor, iuuat ire per altum
Æthera, & æternos concelebrare viros.
Diuinum tu Heroa canis, melioraq; bella,
Aruaq; cœleſti fertiliora boue.
Quemq; prior celſo CLEMENS monſtrauit olympo,
Barcino quo dudum ſidere clara micat,
Tu primus ſacrata facis volitare per ora,
Ireq; in aſſuetos per noua plectra modos.
Ardua RAYMVNDO clareſcit regia cœli,
Ille tua potis eſt clarior eſſe face.
Mantua Virgilio nitidis caput intulit aſtris,
Aemula ad hanc Cytharam tu quoque fila moues.

OCTA-

OCTAVII VESTRII BARBIANI.

QVi Carmen Malacrida tuum, quiq; inclyta facta
RAYMVNDI egregio carmine ſcripta leget,
Ille viri magnas attollet ad æthera laudes,
Quem ſibi patronum Barcino læta colit.
Hæc eadem quicunque leget tua carmina, quæq;
Tam bene RAYMVNDI maxima geſta canis,
Te celebrem referet, vena qui proximus hæres
Virgilio, & potis es vincere materia.
Scilicet vna ambos fama efferet: ille BEATVS
Dicetur, Vates tu Malacrida bonus.

EIVSDEM.

QVid te Malacrida laudibus celebrem? Satis
Tu te ipſe celebras: facta RAYMVNDI canis
Inclyta, poetam te mihi canis bonum.
Idem opus duos laudat, quod ille, SANCTVS eſt,
Quòd recta fecit, tuq; quòd rectè canis.


S. RAYMVNDVS.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. ANTONIVM DE CARDONA CORDVBA,

DVCEM SVESSÆ REGIS CATHOLICI

Oratorem apud Clementem VIII. Pont. Max.

MARTII MALACRIDÆ
Foroiulienſis, De ſuo in D. RAYMVNDVM
Libello.

EPIGRAMMA.

TE ſine non audet tumido ſe credere ponto,
Et tanti ad ſolium Principis ire Liber.
Tu potis Antoni cunctantem impellere dextra,
Et facere, vt felix per mare currat iter.
Ille tuo iuſſu lucis migrauit in oras,
Ille tuo viuet iure patrocinio.

AD PHILIPPVM III. HISPANIAE REGEM CATHOLICVM.

MARTII MALACRIDAE FOROIVLIENSIS

Sacri Collegij Cardinalium à Secretis.

DIVVS RAYMVNDVS.

SACRA cano, decreta pio ſolennia ritu,
Debita RAYMVNDO. Vos, quæ ſuper ardua cœli
Sublimes animæ reſonantia fila mouetis,
Eſte duces, facilemq. viam monſtrate canenti,
Et mecum immenſo, ſi fas, decurrite ponto.
Tuq. olim ſuperis, & nunc decus addite terris
Adſis ò, noſtrumq. iuues RAYMVNDE laborem,
Ne tua ſi memorem ſine te præſtantia facta,
Quæ ſeri celebrent per ſæcula longa nepotes,
Tentet iter liquidum ignoto ſub ſidere puppis
Naufraga, & eiectum ſicca me condat arena.
At TV ſepoſitis mundi, Rex maxime curis,
Audaci porrecta manu, cape dona PHILIPPE

Carmina noſtra libens: manant de paupere vena,
Dumq́; nouas certant ad ſidera tollere laudes,
Parua ſonant, tenuantq́; humili ſublimia plectro:
Tu paruis faueas placidus, ſat grandibus vſus:
Eſt locus æthereo, & noſtro gratiſsimus orbi,
Porticibus latis procul, immenſoq́; theatro,
Et longè à Circo, Capitoli à vertice longè,
Quem pia relligio faſtus exoſa ſuperbos,
Propter humum volitans, humili celeberrima tecto,
In Vaticani ſecreta ſede parauit.
Hìc Conſtantini pietas, ſpectataq́; virtus
Templum ingens poſuit, molemq́; auxere ſuperbam
Pontifices ſacri; Sixtus teſtudine mira
Hanc ſuper impoſita ſummo coniunxit olympo,
Quam multo illuſit CLEMENS feliciter auro.
Panditur hìc operoſa, æris conflata metallo
Porta ingens; vis nulla potis conuellere mundi,
Non Erebi, non ſi qua Erebi violentia maior.
Hanc ſtatione tenent vigili, æternumq́; tenebunt,
Claue bonis reſerans cœleſtia limina PETRVS,
Atq́; malos arcens nudata cuſpide PAVLVS;
Hìc Virgo fœcunda manet; ſtat Virgine natus

In foribus, cœliq; erecta ad ſidera dextra
Monſtrat iter, quod quiſque libens affectet olympo.
At domus interior Pario de marmore ſurgens,
Centum ſacra aris, centum ſuffulta columnis,
Quicquid habet Ganges, quicquid Pactolus arena
Aurifera inuoluit, ſiccoq; in littore ponit,
Vna omnes oſtentat opes; mirantur & ipſi
Cœlicolæ, ſummaq; locum de ſede tuentur.

Hæc quoque plus ſolito nunc exornata decore,
Et rerum nouitate oculos, mentemq; moratur,
Dum tibi thura parat, ſacroſq; indicere honores,
Et tua vult CLEMENS totum vulgare per orbem
Facta pater RAYMVNDE; tuo ſub numine maius
Nacta decus; ſeriem demonſtrat temporis acti
Neſcio qua faciente manu; ſed doctior illa
Non aliàs viſa eſt; omni felicior arte,
Et mortale ſupra: qualis fuit aut Bonarottæ, Michael lus Bon
Aut Vrbinatis ſuperæ manus æmula dextræ, Raphael nas.
Et ne priſca loquar, quales præſentia ſæcla
Te decus Arpini, & te Friderice tulere, Ioſephus nas. Federicus carus.
Principio hic molem totum quæ continet orbem Ornatus S.Petri te re Canoni nis.
Vt Deus ex nihilo ſolers eduxerit, vtq;

Iuſſerit

Iuſſerit eſſe, ſolo quicquid poſt creuit, & vndis,
Cernere dat paries, & viua coloribus æquat.
Quæ ſe tollere humo ſenſim noua gleba videtur,
Et niti pedibus, rectoq. inſiſtere trunco,
Brachiaq. ignoto naſcentia tendere cœlo,
Et ſublime caput, ſublimem tollere vultum:
Illa iubente Deo, naturæ oblita prioris,
Induit humanam ſubitò mutata figuram.

Prodierat vix primus homo, vix lumine cœlum
Luſtrarat, voluentem animo primordia mundi,
Aeraq; ignemq; & quod terram circuit æquor,
Vt grauitate ſua tellus ſe fulciat, vtq;
Singula quæ perdit, ſeruet diſcordia cuncta:
Se quoque mirantem, & cœleſtia ſigna tuentem
Hic Letho ſimilis ſopor occupat, inq. iacentem
Porrigitur latè, ſeq; artubus implicat imis.

Ducitur ex coſtis huius (mirabile viſu)
Prima parens, lateriq; latus dum promitur, hęret:
Inde, vbi vitales in luminis exijt auras,
Admirata virum, caſtâq; cupidine capta,
Illum oculis, animoq; & cura amplectitur omni,
Et propè iam greſſus, acies propè dirigit ambas,

Ac ne quid ſtrepat, & ſopiti immurmuret aure,
Summa pedum viridi veſtigia poſit in herba,
Comprimit & dextra qui manat anhelitus ore.
Somnus abit, fugiunt tenebræ, lux alma ſecuta eſt,
Et cum luce, nouo noua fulſit ſponſa marito:
Obſtupuère ambo, linguiſq; tacentibus vltrò
Caſta dedère manu concepti pignora amoris,
Inq; vicem læti, thalami conſorte reperto,
Coniunxere animos, quos nunc quoq. dextera iungit:
Qua regione ſoli, vel quo ſub ſidere læto — Paradiſi Terreſtris deſcrip.
Expers terra mali, fœcundaq; tota bonorum
Siſtitur incertum, certum tamen eſſe, nec vllis
Lædi frigoribus, nimiòue exurier æſtu,
Humidaq; æterno cum ſiccis fœdere iungi.
Hanc quoque docta manus conata hìc fingere, finxit
Perſimilem: verè labi modò flumina credas,
Et frondere nemus, ramiſq; niteſcere poma.
Non hìc aſsiduus terram fœcundat arator,
Vomeris impatiens, non vllo ſaucia ferro,
Sponte ſua tellus fundit pleno vbere fœtus
Arboribus contenta ſuis; glandeſq; nuceſq;
Semper habet, ſemper cum cortice mala rubeſcunt

Punica, per rimas conantia trudere gemmas.
Non hìc in funus, ſed ad otia nata Cupreſſus,
Alta nec in longam tenuatur Fraxinus haſtam;
Non cupit hic fluctus abies ſulcare marinos,
Atque nouas domino merces portare tenaci.
Labitur inter amœna loci crepitantibus vndis
Amnis, & humorem latè partitur in agros
Perſpicuus, niſi cum gemmis turbatur, & auro.
Quin & pomorum ſpecies non omnibus vna,
Multa replent diuerſa ſuas pomaria ſiluas,
Inter quæ, medium quæ poſsidet æquore campum,
Arbor ſcientiæ boni, & mali. Ex qua ſcire bonum, de qua mala diſcere poſsis,
Pulchrior ante alias viſa eſt, & ſuauior arbos,
Sed vetita; hanc certa omnipotens ſibi lege reſeruat,
Cætera viuentum paſsim largitur in vſum.
Hanc circum tunc forte pios vt vidit amantes
Pronus humi (viden' vt ſeruet veſtigia) ſerpens,
Per truncum ſubitò geminatis orbibus errans
Inſilit in ramos, laudataq; protinus, vxor,
Poma manu in noſtram carpit conuulſa ruinam,
Nec ſine vi: Luctata diu ne traderet arbor
Suſtulerat ſe ſe: preſsit cocytius anguis,

Cunctantem & fregit ramum, & fractum ore momordit.

Iamq; malè acceptum porrexerat illa marito
Munus, & oblatum vix dum guſtarat vterque,
Senſit vterque dolos, ſed quid ſenſiſſe iuuabat?
Aufugère ambo, nudataq; corpora primum
Perlegère oculis: pudor hos, timor vnus agebat:
Terruit & patris vox omnipotentis vtrunque,
Qua tanta ignota damnauit crimina morte,
Et qui fulmineo metuendus nuntius enſe
Iuſsit abire loco, atque in noſtrum hos depulit orbem.
Ibant, & lacrymis florentia prata rigabant,
Sed pede, ſed lacrymis contacta exaruit herba,
Cumq; prius premerent canentia lilia, dumos
Compreſſere acres, atque ingemuere repertos.

Fama eſt his veniæ ni ſpes data certa fuiſſet,
Oppreſſos tanta cœli, terræq; ruina
Confeſtim potuiſſe mori, totumq; repentè
Humanum genus, & cunctos abolere nepotes.
At pater omnipotens meritas pro crimine quamuis,
Non tamen æternum hos voluit perſoluere pœnas,
Nec dum natorum lacrymas miſeratus ab alto,
Promittit ſobolem cœlo quæ duceret ortum,

Sanguine quæq; ſuo amborum commiſſa piaret.

Chriſti ortus. En puer hic cœlo promiſſus mittitur alto,
Fœcundoq; vtero de virginis exit in auras:
En qui terrarum ſpatia, atque ingentia iuſsit
Æquora protendi, totumq; amplectier orbem
Degit humi: et, ſi non anima miſerantis aſelli,
Et boue ni caleat, Boreæ non frigora ſæui
Pellere veſte queat; pauper prædiuite mundo
Naſcitur, & rerum quas condidit, indiget vſu.

Salue ſancte puer iamdudum debite terris,
Vnica ſpes hominum, ſalue decus edite cœlo:
Te reges, te ſceptra petunt, te celſa requirunt
Sidera: purpureo tibi ſurgit Lucifer ore:
Fons tibi Romanum in Tyberim prorumpit oliui:
Omnia te naſcente ruunt in gaudia, & omnes
Implent cœlicolæ ſacris concentibus auras:
Sola tacet Iudæa tuas, quæ dicere laudes
Sola poteſt, iraq; animis feruentibus ardet
Multa timens, vltròq; odit, atque inuidet vltrò:
Irruit Herodes ferro, mortemque minatur,
Pro te vno dum mille petit, non inuenit vnum.

Non dum facta manu ſenſere hic vulnera matres,

In ſua dum ſpectant conuerti viſcera ferrum, Cædes pue- rum innoce tium.
Proq; ſuis voluere animas effundere natis:
Hic cultro iugulat, ferit enſe immanior alter:
Diſsipat hic teneros, lacerat quos vnguibus artus:
Ille manu, matrem clamantia guttura frangit:
Ad pectus pauidæ preſſerunt pignora matres:
Matribus abripiunt preſſos ad pectora natos:
Quid facerent? ſpes nulla fugæ, ſpes nulla ſalutis:
In cœlum madidos natorum ſanguine vultus
Attollunt, querulisq; impellunt vocibus auras.
Hic vbi Virgo ſuum reperit mœſtiſsima natum,
Differit, & blando proceres puer increpat ore
Sacrorum ignaros vatum, legiſq; paternæ:
Illi odia infenſi exercent immanibus iris.
Erigat ille licet languentia corpora nutu,
Imperet & morti, mortemq; coerceat vnius
Natura admirante: vni turba impia quærit
Demere ius vitæ, & vitæ præuertere metam.
Hæc luſtranda oculis: veſper concedet olympo
Omnia ſi numerem; nec eam per ſingula fando,
Et dudum properans lacrymoſa in funera poſcor.
Siccine pro meritis grates Iudæa rependis? Chriſti Pa

Siccine crudelis cœlo venientia dona
Suſcipis? æternumq; Deo perſoluis honorem?
Ille manus præbet, quid vincla tenacia nectis?
Quidvè trahis? quocunque voles tua iuſſa ſequetur.
Aſpice quàm placidus ſupponat colla cathenis:
Aſpice quàm miti excipiat tua iurgia vultu,
Vt cupiat plus poſſe pati, nec verbera ſæua,
Nec dumos morem in ſerti detrectet acutos,
Quamuis ſanguis eat, quamuis dolor imperet illi.
Quin etiam hanc animam, qua nil pretioſius vſquam,
Ponit ouans, cruor ipſe licet pia gaudia cœlet,
Et patri pendens rorantia ſanguine monſtrat
Vulnera: porrigeret ſi poſſet brachia ſupplex,
Brachia ſed clauo per te ſunt fixa trabali.
Qua ſupereſt nunc voce rogat, veniamq; precatur,
Æthereaſq; petit poſt mortem viuidus arces.
  Extinctum CHRISTI nomen cum corpore demens
Crediderat Iudæa, animo & ſpem læta fouebat:
At poſtquam ſupera lucis percrebuit aura,
Perq; hominum cœpit volitare potentior ora,
Ingemuit, factumq; probans immitior ante,
Quàm fuit, iratum flammis alimenta miniſtrat,

Et ruit in peius culpam dùm cura remordet.
Mens mala ſecreto pertentans ilia calle,
Non valet innatam ſpeciem depellere recti:
Sic quamuis ratio non omnia viuida poſsit,
Intus edit, crimenq. æternis ignibus vrit.
Plurima iam CHRISTI volitabat fama per orbem,
Iam populos, iam regna potens, regeſq; tenebat:
Extremiſq; ſuas numerabat finibus vrbes.
Quàm multa æthereo ſuccedunt ſidera cœlo,
Frigidus obſtantes Aquilo per inane vapores
Cum tulit, & claro terras patefecit Olympo:
Aut quot vere nouo flatu reſoluta tepenti,
Floribus ornatur tellus, vel piſcibus æquor,
Tanta hominum ſeges hìc, CHRISTI vexilla ſequentùm.
Hinc qui ſuſpiciunt auſtralia ſigna locantur:
Illinc ſub Borea, ſeptemq; Trionibus orti:
Læua tenet nigros radijs ſolaribus Indos:
Stant populi dextra latè peragrantis Iberi.
Hos inter medius grauitate inſignis, & æuo
Conſpicitur RAYMVNDVS: eum niger ambit amictus Habitus. ... minici ... ptio.
Supra humeros, albus ſubter contrarius atro,
Fibula quem mordet, lateriq; accommodat arcto,
Decli-

Declinans velum anguſtum quod pendet vtrinque;
Atq; humili caput exornat pietate cucullus.
Hunc fama ingentem pennis delata per orbem,
Solis ad occaſum, ſolis referebat ad ortus,
Quemq; olim nitidis virtus immiſerat aſtris,
Cœlicolum in terris dignum vulgabat honore.
Heſperiæ huic latè populi, regesq; petebant
More ſacro, ſanctis cumulari altaria donis.
Conſilio res acta graui, dilataq; ſemper,
Credita ſemper erat, donec CLEMENTE reuixit
Pontifice, hoc etiam vt decoraret lumine terras.
Ille tamen patres, quamuis queat omnia ſolus,
Conſulit, & cunctos quæ ſit ſententia poſcit.
Conuenère omnes, quorum pars dignior altis
Sedibus incubuit tyrio fulgentibus oſtro,
Pars diuerſa locis, ſeruatoq; ordine ſedit.
Conſtitit in ſolio CLEMENS ſublimis eburno,
Atq; hæc auguſta grauitate recenſuit ore.
RAYMVNDI nomen, quo Barcino læta triumphat,
Et vita, & pietas veſtras peruenit ad aures:
Illum cum ſuperis cœleſtia munera obire,
Et noſtras audire preces, & vota tueri,

Fama

Fama refert, & digna fide longinqua vetuſtas.
Nunc ſtudium populorum ingens, Rex ipſe PHILIPPVS
Tàm pietate patri, quàm nomine proximus hæres,
Diuorum in numerum noſtro petit ore referri,
Atq; illi ſæclo decerni thura perenni.
Multa hominem ſuprà, geſsit dum vita manebat,
Plurima dum terris cedens, mortalia liquit:
Publica ſignàtis dudum monumenta tabellis
Vidimus, & teſtes, ſubſcriptaq; nomina Regum.
Nunc vos ne lateat ſeries certiſsìma facti,
Nuntius hiſpano veniens è littore, regis
Cuncta ſui iuſſu pandet: vos ordine cuncta
Auribus excipite, atq; animis infigite veſtris.
Dixerat. In medium flexo ter poplite ſurgit
Nuntius, & ſanctum veneratus ritè Senatum Procurato nonizatio
Incipit. Occiduo Romam de littore veni,
Cauſa viæ Regis pietas iam nota PHILIPPI,
Non, humana peto, non Rex meus indiget iſtis:
Quæ dare poſsit habet; tantum cœleſtia poſco,
Quorum Sancte Pater ſoli tibi ſumma poteſtas.
Quod tu alijs dederis, dare te quoque conuenit vni,
Pro quo hos petimus: meriti par gloria cum ſit,

Par ſit honos: felix HYACINTHO ſarmatis ora,
RAYMVNDO Heſperia, & veſtro quoque munere felix,
Huic ſi dona datis, quæ conceſsiſtis & illi.
Nota ſat alterius virtus; audite quid alter
A puero, quid mox firmatis egerit annis,
Quid viuens, & quid mortali cortice liber.

Incipit vita S. Raymundi.

Barcino non vnis ponti tentata procellis
RAYMVNDO patria eſt: vno hoc lætatur alumno,
Extremo aduectis præfert hunc mercibus orbe.
Hic puer ingenium excoluit virtute per artes,
Et bibit æternæ diuina oracula vitæ:
Pluraq; cum cuperet fœcundæ tradere menti,
Nauigat, & curſu italiam petit ille ſecundo.
Vrbibus è multis Bononia ſola probatur:

Bononiæ leges didicit.

Hic dubios legum anfractus iuuat ire per omnes,
Et quamuis meritæ ſpernat præconia famæ,
Noſcitur, & fama inuitus ſupereminet aſtra.

Bononiæ ius Ciuile docuit.

Hic docet obſcuras leges poſcente ſenatu,
Difficilesq; vias aperit, penituſq; latentes
Rimatur calles, & veri arcana recludit.
Traxerat innumeros tanti vulgata magiſtri
Fama viros, vndamq; hominum, ſtudiumq; tenebat:

At decus italiæ noſtris in finibus ortum
Reddidit Heſperiæ, & patrijs Deus appulit oris. Reditus in p triam.
Sedulus hic dum ſacra dies, noctesq; frequentat
Limina, dicendis in templo adſcribitur hymnis,
In procerum adſcitus numerum pœana; canentum: Canonicus B cinonenſis.
Ille ſuum dum munus obit, rutilare videres
Inſolito coelum tractu, & deſcendere diuos
Sedibus æthereis, oblataq; vota ſouere.
Virginis ante alios foecundæ numen adorat,
Duplicat & laudes, & munera laudibus addens, Duplex offi Annunciatio nis B Mariæ recitaretur ſuo diuidit ter Canonic
Inuitat ſocios tanta ad proeconia Diuæ.
Creſcit amor coeli, creſcunt & toedia vitæ,
Degere ſolus amat, ſoli ſibi viuere geſtit,
Humanos odit faſtus, coeleſtia verſat,
Et fatur rarò, & nunquam ſine numine fatur.
Ille auet in ſummis traducere montibus æuum,
Nulla hominum demonſtrat vbi ueſtigia tellus,
Aut ubi non urbes, non celſa palatia cernat,
Tempore ſed longo quà pumice, tecta, pereſo
Secretos inter ſcopulos natura recondit.
Certus erat longè poſitas perquirere terras,
Et mutare ſolum, atq; alium diuertere ad axem:

D Ante

Ante tamen quàm carpat iter, quàm dulcia linquat
Limina, quàm patrijs decedat finibus exul,
Sacra Deo facit, ut dexter ſua uota ſecundet,
Ancipitemq; uiam manifeſtò tramite monſtret.
Olli grata quies ſerpit, totumq; pererrat,
Paulatim ſummo deſcendens uertice, corpus:
Numen adeſt, ſuadet patrio conſiſtere coelo,
Regulam S. Dominici profitetur. Dedere ſe notis per totum legibus orbem
Dominici, fratrum numerumq; augere piorum,
Communemq; ſequi uitam, normamq; tueri.
Decimas omnium quæ perciperat, Deo dabat. Iuſſa facit, paret iuſsis hominumq; Deiq;
Cumq; Deo rerum, quas poſsidet, ille quotannis
Offerret partem decimam, nunc omnia defert,
Seq; ſuper, ne quo cenſeri iudice poſsit.
Omnibus exutus, miſeris ſuccurrit egenis,
Ordinem B. Mariæ de Miſericordia, ſeu de Mercede captiuorum inſtituit. Seruitioq; graui oppreſſos, grauibusq; cathenis,
Ære pio, quod dat procerum manus inclyta regni,
Eximit, & fieri venturum ita mandat in æuum.
Impiger ille etiam dum publica munia curat,
Tempore belli quod Cruciatam vocāt egregiè ſe geſſit ſub Greg. Nono. Gregorium hiſpano fidentem milite iuuit
Pontificem, tunc cum communia cogeret arma,
Atq; acres in bella uiros pro nomine CHRISTI

Vndiq; conciret, bellumq; expoſceret orbis.

His auctus meritis, famam, ſtudiumq; videndi
Grande ſui auxit Pontifici, Romamq; vocatus — Romam ven
Aduolat: inde fori ſtrepitum mala iurgia noſcit
E patrum numero, quorum uenerandâ poteſtas — Auditor Ro
Emicat, & lites immenſi dirimit orbis.
Quin culpas hominum, maioraq; crimina diſcit,
Acribus & monitis, poeniſq; ſalubribus arcet, — Maior Poenitentiarius.
Ius animis dicens æquum vitæq; neciſq;.

Audijt & ſummi lapſus, ſecretaq; corda
Pontificis, fidit quæ tutis auribus ille, — A Confeſſionibus Pontif
Pro quibus ut ſe ſe facilem det ſemper egenis
Imperat, & tali redimat ſua crimina poena.

Quin noua dona parat uenturis addere ſæclis,
Tradere dum ſeris præcepta nepotibus ardet — Decretalium liber.
Iuris Pontificum, multis uolitantia chartis:
Inde opus aggreditur paucis quàmplurima nectens,
Et Decretales uulgato nomine dicit.

Qua ratione queas prauis ſecernere recta,
Occultaſq; animi penitus cognoſcere peſtes, — Summa R mundi de ca conſcientiæ
Materiamq; mali, dirumq; in corde uenenum
Monſtrauit, docto perſtringens ſingula libro.

Ingenij uis magna inerat, ſtudiumq; iuuandis
A puero innatum cunctis mortalibus ingens,
Inq; dies maiora ferat, ſed ſiſtere coelo
Romano uetat omnipotens, maciemq; malignis
Reditus in patriam. Febribus adducens, ſummo diſcrimine uitæ
Impulit, ut patrias iterum remearet ad oras.
Non hinc diuitias, non publica munera portat,
Et ſibi decretos ultrò dimittit honores:
Paupertas opibus melior, præfertur honori
Deſpectus, gaudetq; humili procumbere tecto.
Ille quidem uellet, ſed uirtus tanta latère
Non patitur: cinere aſperſus uelut emicat ignis,
Et procul oppoſitas acies, animumq; moratur.
Magiſter Generalis ord. S. Dominici eligitur. Qui traherent tunc fortè moræ diſpendia longæ
Mille patres habuit, uarijs Bononia uotis:
Illos qui regeret, Iordano morte perempto,
Nullus erat, ſtudioq. ſuos tunc quiſque fouebat.
Vt ſatis eſt certatum animis, maioribus uti
Auxilijs placuit, coeliq. exquirere iuſſa:
Quotquot erant ſubitò diui incubuère ſepulchro
Dominici, tentiſque pijs ad ſidera palmis,
Coniunxere preces, auditaq; vota fuere.

Nec

Nec mora proſiliunt alacri ſine murmure vultu:
Dicere mox iuſsi (mirum) vix nomine notum,
Non vnquam viſum, veſtro procul orbe remotum,
RAYMVNDVM petiere aliqui: acceſſere repente
Poſt alios alij, totumq. abſorbuit agmen
RAYMVNDI feruens imis in cordibus æſtus.
Ille Dei quæ ſit monitus ſententia, tandem
Imperio ſubit, atque humeris ingentia tollit
Pondera: præſcriptis ad normam legibus omnes
Allicit, & vitæ redigit melioris in vſum.
Mox vbi firma ſatis ſociorum pectora vidit
Ardentem ſæcli æterni excepiſſe calorem,
Certatimq; via coeli ad conſortia duci,
Sponte gubernaclo ceſsit, puppimq; regendam
Alterius nutu, cui pareat ipſe, reliquit.

Abdicauit [...] ficio Mag. [...]neralis.

Conſilio interea rerum quod creuerat vſu,
Proderat, & blando populos ſermone trahebat:
Multis author erat primi vt delicta parentis,
Et ſacro proprias abolerent flumine culpas:
Ac ne quid CHRISTO patrijs decederet oris,
Dogmata romanis ſuadet contraria iuſsis,
Irrita Rex iubeat, ferroq;, & vindice flamma

Officium S[...] quiſitionis monitu in [...]gno Arago[...] inſtitutum

Compri-

Comprimat; æternumq; ſua ditione repellat.
SANCTIOR Heſperiæ quæ lex ſub regibus aucta,
Indorum latè meruit dominarier aruis,
Et noſtri ingentem mundi ſibi ſubdere partem.
Nec contentus eo, CHRISTI protendere ſigna
In Mauros, Numidaſq; cupit, vicinaq; tentat
Bellum indicitur hoſtibus Chriſtiani nominis. Littora, mille virùm rege adducente cateruas,
Pectora certa neci pro CHRISTO tradere vitam,
Armatoq; premit baleares milite campos.
Parua loquor, maiora manent: Rex vrbe potitus,
Et ditione loci (parce ò Rex inclyte parce)
Delitias victor ſubitò dilapſus in omnes:
RAYMVNDVS niti contra: niſi pellice pulſa
Pareat ille Deo, regi parere recuſat,
Obſequiumq; negat, patriæ rediturus in oras.
Rex furit, irarum flammas ſub pectore voluens,
Edictoq; cauet ne portu nauita ſoluat.
Miraculum de traiectione Maris. Ille viam ad littus carpit, totúmq; pererrat,
Inde, vbi nulla eſt optatæ data copia cymbæ,
Hæc mea nauis, ait, reducem me littore ſiſtet:
Hac Deus in patrio: poſitiq; ſuprà æquora amictus
Altera pars baculo, ceu malo velà, pependit,

Altera

Altera pars pedibus preſſa eſt, ventiſq; vocatis
Ocyor, & miſſa neruo ſtridente ſagitta
Nauigat, ac curſu placido præteruolat vndas.
Huic comes eſt (ſocio haud auſo ſe credere ponto) Angelus custo[...]
Cui mandata Deo vitæ eſt cuſtodia noſtræ
Spiritus, atq; hymnos, inter modulantur eundum.
Æquoris ille viam cedente euaſerat vnda,
Iamq; in conſpectum patriæ peruenerat, omnis
Ad mare cum totis fudit ſe Barcino tectis.
Diriguère comæ tanta ad ſpectacula cunctis,
Diuinuſq; timor per frigida membra cucurrit.
Vt portum tenuit, ſicco veſtitur amictu,
Et baculo innixus, quo dextera ſuſtinet artus,
Ingreditur templum: templi patuère receſſus
Sponte ſua, & verſo ceſſerunt cardine poſtes.
Hæc dum vita manet, quamuis & plurima poſſem
Mira referre Pater, varios medicamine morbos
Cum nullo expulerit, ſed nos grauiora ſequamur.

Vt Deus æthereo hunc iuſsit conſidere coelo
Effoetum ſenio, centum ille exegerat annos,
Iàm clarus pietate ſua, pietate duorum,
Qui tulerant humeris illius funera, regum,

Raymundi fu[...] nus clarum à I[a]cobo Rege A[r]goniæ, & A[l]phonſo Rege [...] Caſtellæ.

Coepe-

Coeperat aduerſis in rebus ſæpe vocari
Vtilis, & magnum in populo cum nomen haberet,
Grandius ille habuit miro ſuper omnia facto.
Vnica ſpes patris, miſeræ ſpes vnica matris
lla mortua e reſtituta. Pauerat ardentem languenti corpore febrim
Nata diu; nulla infelix medicabilis herba:
Vt fruſtra tentatæ artes, ceſſere magiſtri,
Ceſsit vita ſimul, luctus, clamorq; ſecuti.
Icta dolore parens duro miſeranda vel hoſti,
Sollicitat coelum votis, diuoſq; recenſet,
Et natam vitæ poſcit pro munere reddi.
RAYMVNDI in primis ſupplex adit illa ſepulchrum,
Et prona in lacrymas, lacrymis non ore locuta
Poſcit opem: firmam affectat ſpes certa ſalutem.
Conſtitit hìc: placuère imo venientia corde
Vota Deo: famuli conclamant viuere natam,
Voce ciere ſuam, ſua per veſtigia matrem:
Euolat ad natam mater, nec ſegnior illa
Obuia fit matri: ſtupet hæc, ſtupet illa, ſuuſq;
Cuique timor gratus: lacrymæ geminantur vtrinque,
Lætitiæ voces, gemitus miſcentur in vnum:
RAYMVNDO ob factum ſacri cumulantur honores.
Cen-

Centum alios memorem, ſed me breuis admonet hora
uca loqui, miſeri quos defleuere parentes,
AYMVNDI precibus longæuæ ad munera vitæ,
dibus ex imis inuita morte remiſſos.
miramur adhuc potuiſſe ingentia ſigna
ere dum vixit, dum nunc inuectus olympo eſt?
us è tumulo cum qui puriſsimus exit
petua puluis venæ, medicamine certo
numeros pellat morbos, & corpora firmet?
Sic orſus tacuit: fandi conceſſa poteſtas
tribus, vnanimi rupere ſilentia voce.
ebita RAYMVNDI meritis altaria poſcunt,
nure ſacro, ſacroq; illum dignantur honore,
oncipiuntq; preces, tacita quas mente reponunt.
Quæ poſtquam vidit toto poſcente ſenatu,
erta ſatis, placido declarans gaudia vultu,
urſus ait CLEMENS: ſint hæc licet omnia nobis,
dicto procerum, & ſcripto manifeſta vetuſto,
nnuat vt tamen his ſummi moderator Olympi,
firmet, decreta ſuo quæ numine præſtant,
pplicibus diuos animis in vota vocemus:
os ſanctas iterate preces, dum tempore certo

De puluere, qui è ſepulchro S. Raymundi manat.

RAYMVNDVM ſacris meritò donabimus aris.
Dixit, & inde abijt: Patres comitantur euntem,
Aſsiſtunt lateri, & tecta ad regalia ducunt.
Sed quid turba ruit? quid fert concurſus ad ædem?
Quanta hominum, quanta heroum præterfluit vnda?
Deſeruère ſuas montana cacumina ſedes
Rupibus innati, quas frigore Nurſia durat:
Quiq; colit madidi felicia Tiburis arua,
Et ſemper grauidæ baccas decerpit oliuæ:
Quiq; olim magnæ poſuit primordia Romæ
Albani cultor, celebri modò notior vua.
Arua ſuis paſsim ſqualent viduata colonis:
Nauita curuantem remos nec diuidit vndam,
Nec puppe, Eridano gaudentes terret olores:
Ludunt Adriaci tutò prope littora piſces,
Et timidæ ad caulas audent accedere Damæ.
Huc torque aurato proceres Germania mittit:
Huc ſoliti mutare domos venère Gelones:
Gallica ſpectatur, ſpectatur Belgica pubes,
Et nunquam bello domiti cernuntur Iberi.
Huc coeunt quotquot magno numerantur in orbe:
Millia multa adſunt, ingens ſine nomine vulgus,

Quæ ſi quis numeret, tuſci queat æquoris idem
Nubibus æquatas auſtro numerare procellas.
Denſi humeris portæ certant in limine primo,
Atq; alij trudunt alios, & fluctuat omnis
Turba ruens: ceu vicinis cum montibus imbres
Præcipitant ſe ſe in Clanim, dein partibus æquis
Hinc Tyberim, pellunt illinc violentius Arnum,
Et populos, magnaſq; replent terroribus vrbes.
Agricola è manibus curuum dimittit aratrum,
Et fugiens, retro ſpectat ſua culmina villæ:
Ille iuuat cerere, obſeſſos fluuialibus vndis,
Aſt alius charos ſeruat cum coniuge natos.
Non ſecus hìc fluctus hominum voluuntur vbiq;
Et ſibi quiſque timet: capiunt ampla atria nullum,
Nulli aditus, nulli digreſſus poſtibus altis.
Nec via certa patet, ſubeat qua ingentia templa,
Iamq; venit, ſonitum raucarum audite tubarum,
Summus adeſt hominum, CHRISTI ſummuſq; ſacerdos,
Purpurei patres adſunt, ſanctuſq; ſenatus:
Eia agite, hìc denſate acies, ſecedite paulum
Illinc, ſancta loco moueat reuerentia cunctos.
Iam parent, procede orbis iuſtiſsime rector,

Et tibi ſubiectos terrarum hinc collige fines.

Sacra fuit templo in medio fundata vetuſto
Ara die, nunc tota nouo circundata ſaxo
CLEMENTIS iuſſu, & toto celeberrima mundo.
Eminet hic ſolium fuluo pretioſius auro,
Incluſum gemmis, ſolidoq; innixum Elephanto,
Sidera quod circum flammas errantia ducunt:
Hic pater, & princeps CLEMENS conſederat, inde
Purpurei ſedere patres, patribuſq; minores
Ordine quiſque ſuo, caput exornante Tiara.
Ab læua centum famuli, totidemq; miniſtri
Imperij, multis clari virtutibus omnes,
Omnes promeriti, iuſtis & honoribus aucti.
Dextram oratores delecti ex ordine primo,
Inſignes regum proceres tenuere frequentes.

Vt iuſſi tacuere omnes, penituſq; reſedit
In populo murmur varijs ſermonibus ortum,
Murice conſpicuus, redimitus tempora mitra,
Gloria purpurei, & decus immortale ſenatus,
Hæc ODOARDVS FARNESIVS edidit ore.

Exoptata dies fulſit, qua debita tandem
RAYMVNDO des thura Pater: tibi publica vota

Heſperiæ,

Heſperiæ, tibi nos ſtudium cœleſte PHILIPPI
Porrigimus: placidas iuſtis da vocibus aures:
Da caleant ſacris RAYMVNDI altaria donis.
Ter repetita eadem: CLEMENS ter ſupplice voto
Cœlum adijt, diuumq; choros, ſuperumq; parentem
Talibus aggreſſus, ſanctis loca vocibus implet.
Da pater omnipotens æterni luminis ignes:
Da veri in tantis arcana recludere rebus,
Et monſtrare alijs, tibi ſunt quæ cognita laudi.
Vos animæ, quæ ſumma poli conuexa tenetis;
Et quibus æternæ ſunt mutua gaudia curæ,
Quà via difficilis certo nos ducite calle,
Ducite, & optatos animo depromite ſenſus.
Sic placet: hæc fieri mandat Deus æthere ab alto.
At nos afflati diuino numine noſtra, Decretum [c]onizatio[nis]
Iura poteſtate immenſo qua dicimus orbi,
Qua datur & reſerare fores, & claudere olympi,
Cœlicolum numero, ſuperiſq; adſcribimus oris
RAYMVNDVM, diuumq; illi largimur honores:
Huic laudes, huic ſacra pij inſtaurate quotannis,
Et noua marmoreis altaria ponite templis:
[L]ex data nunc, cunctis mandata nepotibus eſto.

Dixerat. Intonuit geminatis plauſibus æther:
Vocibus intonuère ſacris penetralia templi:
Inde faces, igneſq; volant, tecta alta tremiſcunt
Ingentem tonitrum flamma expellente metallo,
Lætitiæ ſignum tota reboantis in vrbe.

Quin etiam auditæ voces diuumne, hominumne
Incertum,: tamen auditæ volitare per auras.
Viue diu CLEMENS, & terris debite, & aſtris,
Viue diu, tua nutantem ſi ſuſtinet orbem
Aura Pater; Princeps orbis tua maxima Roma
Imperio Eridani, ſceptriſq; potentibus aucta,
Audet adhuc ſperare aliquid, te ſoſpite, maius.
Te regnante vigent humanæ lumina vitæ
Relligio, & virtus: vitium ſua pœna coercet,
Prœmia redduntur meritis, æquantia palmas.
Quiſque tuo pius exemplo loca ſacra frequentat.
Te populi gelido norunt Aquilone rigentes,
Gens deuincta tibi firmatæ pacis amore,
Frigida cum ſeptem ſubiecta Trionibus arua
Arderent bello, nec Viſtula cederet Iſtro.
Sequana te, latiſq; colit tua Gallia campis,
Et te quòd belli ardentes reſtinxeris ignes,

Qui poterant magnum flammis ſuccendere mundum
Miratur, meriti cum ſint præconia linguæ
Inferiora tui: laudes PETRI illa recenſet
ALDOBRANDINI, fraterno ſanguine cretum
Fraternus quem iungit amor tibi, quem ſua virtus
Supra homines, hominumq; animos, ſuper æthera tollit.
Cui operis tanti laus circum tempora ſerpit:
Conſilium te dante pater, feliciter auſus
Extinxit magnos orbis ſine ſanguine motus,
Et tulit æternum mira virtute trophæum.

Petrus Cardinalis Aldobrandinus Legatus à latere.

Te colit ante alios pietate inſignis auorum,
Multò maior auis propria virtute PHILIPPVS:
Ille tibi debet pluſquam ſe poſſe fatetur
Reddere, quòd patria abſentem complectere cura,
Quòd noua promeritis benefacta recentibus auges.
Et tamen eſt cœlo totus, non deditus orbi,
(Quamuis penè omnem latè dominetur in orbem)
RAYMVNDO in primis per te data laurea ſerta
Imis pectoribus nunquam interitura recondet.
Iſta ſonant, iſtis implentur vocibus auræ.
Interea magno ſpectat ſua gaudia olympo,
Et ſibi decreto in terris blanditur honori,

Cœle-

Cœleſtem RAYMVNDVS opem pro talibus vrbi
Pollicitus, longumq; precatus principis æuum.
Inde animum latè patrias intendit in horas,
Non alio memor exactæ ſub culmine vitæ,
Iure ſuos ciues ſtudio complectitur omni,
Annuit & votis, & vota interſerit aſtris.

Principis ante alios gratiſsima cura PHILIPPI
In noua conantis, CHRISTI protendere nomen
Littora, & à noſtro penitus diſtantia cœlo.
Illius egregijs comitem ſe deſtinat auſis,
Ardentiq; animo torrentes ſubijcit ignes
Sedulus, & nunquam his patitur deſiſtere curis.

Ille etiam Heſperiæ quia tanta potentia toto
Orbe patens, reges magnos, & regna coercet,
Imperioq; valet pluſquam experiatur in armis,
Bellatorem animum Regi delapſus ab alto
Inſpirat, iuſtamq; in Thraces ſuſcitat iram.

I, pete, ait, magni regum Rex maxime mundi,
Europæ, atq; Aſiæ regnatas Thracibus vrbes:
Illic quid bello poſsit tua viuida virtus,
Fortia quid valeant hiſpanæ pectora gentis
Experiare: tua eſt maior (mihi crede) poteſtas,

Quàm

Quàm cui iam poſſit contra vel claſſibus iri,
Vel pede: tu CHRISTI tantum pro nomine pugna.
Ille animos, vireſq; dabit, tua diriget ille
Conſilia, aduerſos pellet ceruicibus ictus:
Ipſe Dei mandata feram, & tua ſigna tuebor.
Forſitan vnde tibi humana adiumenta petenda,
Vnde Duces, aurumq; potens, vnde arma requiris?
Aſpice quid teneas noſtro ſub cardine rerum;
Aſpice telluri tellus contraria noſtræ
Quid tibi ſeruet adhuc: plus ipſe fatebere multò,
Quàm ſit opus ſupereſſe tibi: non milite quiſquam,
Non quiſquam ducibus tecum contendat, & armis.
Fide Deo: potis ille viros præſtantibus auſis
Heſperia excitos ſacro præponere bello.
An non innumeras ciuis meus ille phalanges
Per medios victor Guillelmus duceret hoſtes?
Ille ſciens pugnæ, bello verſatus in omni
Siue pedes, ſeu iuuit equo certare, vel vndis,
Inter vtrunque tulit tempus victricia ſerta.
An non præclaro natus de ſanguine gentis
Cardonæ, miles primis Antonius annis
Strenuus, & primis idem Dux inclytus annis
Grande decus patriæ, nomenq; augeret auitum,

Guillelmus de S. Clemente Barcinonen. Regis Catholici apud Cæſarem orator

Antonius de Cardona Corduba Dux Suſſæ Regis Catholici, apud Clemētē VII Pont. Max orator.

Si

Si conferre manum, & ſtricto perrumpere ferro
Detur in obſtantes ſolita virtute cateruas?
Non tibi Parthenopes tantum noua quæreret ille
Arua ferox, ſed maior auo, qui terruit orbem,
Adderet vſque tuis regnis ingentia regna,
Subq; tuo imperio Perſas coniungeret Indis:
Vtilis Heſperiæ gens Corduba naſcitur oris.

Petrus Enriquez de Toleto comes de Fuentes.

Quid belli fulmen clara de ſtirpe Toleti?
Belgica non vnquam tellus ſatiata cruore
Nunc quoque quod timet, atq; abſentis nomine PETRI
Territa, vallo arces, & foſsis agmina munit?
Hoc duce iam ſupplex Aſiæ regnator auitum
Ante tuos diadema pedes, & ſceptra reponet.
His alijſq; viris, quorum tibi copia magna eſt,
Hoſtem qui poſſunt valido compeſcere ferro,
Præſit, qui veris anteit virtutibus omnes,
Conſilio belli curas, qui temperet vnus

Franciſcus de Sandoual Marchio de Denia Dux Lermæ præfectus cubiculi Philippi III. Regis Catholici.

Heſperiæ columen Franciſcus, ſanguine clarus,
Et pietate ſimul, quem Sandoualius heros
Progenuit, tanto & firmauit pignore regnum.
Pugnandi imperium cui tu cōmittere poſsis,
Elige qui placeat de multis, elige multos,
Victor eris: pietas alios tua magna ſecundat:

Auſpi-

Auſpicijs ſuperata tuis maria aſpera cedent,
Terrarum immenſi cedent, te vindice, tractus.
Et quid victori poterit felicius vnquam,
Quàm tibi deuicta Thracum contingere gente?
Tu populis populos, tu regnis addita regna
Mille tuis cernes: tibi barbara ſubdita tellus
Maumetis, curuo ſubmittens poplite faſces,
Quos CHRISTO abripuit, CHRISTO iã reddet honores:
Per te animis populorum ingens ditabitur æther.
Hæc facito: Deus hæc eadem mandata iubebit
CLEMENTIS moniti, per me delata referri.
Dixit, & abſceſsit. Diui Rex ſentit odorem,
Proſequiturq; oculis tranantem nubila cœli:
Inde manus ſupplex ad ſidera tollit, & ora,
Atq; hæc pauca refert, illo fugiente per auras.
Firma parum mea dextra licet, quodcunque iubebis
Rex ſuperum, munita tuo ſe poſſe fatetur
Auxilio, nec pacem vnquam, nec bella recuſat.
Tu modò certa mihi demonſtra tempora pugnæ,
Bella geram, tu victor eris, tibiq; omnia cedent:
Et tua ſunt quæ regna meo tot ſparſa per oras
Imperio parent: tuus eſt qui ſpiritus artus
Hos regit, & præſens vitam, mentemq; miniſtrat.

Tu quoque diue meis votis RAYMVNDE faueto,
Quandoquidem manifeſta mihi tua numina monſtras,
Ante hac quæ tacito venerabar cernuus ore,
Et memor vſque mei penetralia noſtra frequenta.
Vel tu, quod cupio, tecum me tolle per auras
Sidereas inter nubes, hominiq; negatam:
Pande viam: cœlo propior iam feruidus igne
Æthereo, CHRISTI melius præcepta faceſſam.
  Deſierat: lux alma nouis fulgoribus aucta,
Atria non ſolitis implet regalia flammis:
Regia vota Deus præſenti numine firmat;
  Dicite felices animæ, quæ ſumma tenetis
Iura poli, quæ bella ingens memoranda PHILIPPVS
Orbe geret: video totum iam feruere pontum
Claſsibus, & latè ſpumas ad littora pelli:
Et Memphim video immenſam, & ſeptem oſtia Nili,
Anguſtaſq; maris fauces, quà Boſphorus vſque
Ingemit, Heſperiæ firma ditione teneri.
Hæc vos ſancta manent tanti præconia regis:
Vobis certa fides, atq; omnis copia fandi:
Nos humili tellure viam molimur, & alta
Nunquam auſi, hanc non audemus contingere metam.

F I N I S.